



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,  
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa  
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad  
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630**

11 An materia incorruptibilium corporum sit eiusdem rationis cum  
elementari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

teriaz primæ inuenta fuerit per viam motus & transmutationis, tamen, semel cognita hac compositione ex materia in inferioribus corporibus, inde ratiocinatum est ad superiora, & ex alijs similitudinibus, & accidentibus talium corporum intellectum est, hanc compositionem communem esse omnibus corporibus. Vnde ad secundam respondetur, non oportere, vt compositio ex materia & forma sit propter alium finem extrinsecum, sed propter ipsam substantiam componendam, quæ ex e s constat: & quia natura talis substantia huiusmodi compositionem postulat, vt habeat omnia, quæ sibi conaturalia sunt, scilicet, materiam, vt possit subsistere, occupare locum, moveri, & similia: formam vero, vt sit in actu, & vt agere possit. Quocirca falsò videtur in eo argumento supponi, materiam in his rebus inferioribus solum esse propter generationes & corruptiones: est enim hæc vna ex proprietatibus huius materie, non tamen adæquata ratio materie vt sic.

X. Ad tertiam respondetur primò, probabile esse, quantitatem & materiam ex natura sua ita esse adæquate connexas, vt repugnet quantitati esse conaturalem alicui enti, quod materiam non habeat, hoc enim magis indicant ea, quæ de corporibus experimur, & nullum est prorsus fundamentum sufficiens ad fingendum aliud genus naturalium entium possibile. Neque hoc repugnat infinitati Diuine potentie, vt per se satis patet, quia potentia Diuina infinita, non immutat rerum naturas: & quamuis possit supra illas operari, non tamen facit, vt sit conaturalis, quod ordini nature congruum vel consentaneum non est. Vnde inferius ostendimus, è conuerso fieri non posse, vt sit substantia ex materia & forma composita, cui naturale non sit habere quantitatem: quid ergo mirum videri debet, vt conuerso etiam repugnet dari substantiam omnino completam, & quantam, quæ non sit composita ex materia & forma tanquam ex suis partibus? Conciipiendi ergo sunt duo ordines substantiarum à Deo creabilium, scilicet, compositarum ex materia & forma, & simplicium. Prioribus omnibus communis est hæc imperfectio, quod sunt capaces quantitatis, posteriores vero omnes substantiæ adeo perfectæ sunt (agimus de substantijs completis) vt e s quantitas repugnet, & ideo tales substantiæ dicuntur ab Aristotele, separatæ, & actus simplices ac intellectuales. Repugnat autem naturis rerum, vt hi duo ordines inter se confundantur, ideoque non potest vna & eadem res habere imperfectionem vnius ordinis coniunctam cum perfectione alterius.

XI. Adde deinde quamuis hoc admitteremus, scilicet, posse dari substantiam simplicem & integram, ac subiectam quantitati molis, non posse conuenienter attribui cælo talem substantiæ modum, quia esset valde imperfecta: quia non esset actus perfectissimus, vt per se constat, quia esset imperfectior substantijs intellectualibus, imò & multis substantijs compositis ex materia & forma, præsertim homine, & aliunde etiam careret actu substantiali, qui est maximè perfectus inter actus informantes. Sicut ergo substantia creata carens omni pulchritudine formæ accidentalis, esset valde imperfecta, ita substantia corporea, carens pulchritudine formæ substantialis, esset valde imperfecta, & quasi monstrosa. Et fortasse hinc sumitur non leue argumentum proportionale, nec parui (vt ita dicam) ponderis, sicut non potest dari substantia creata incapax accidentis, ita non posse dari substantiam corpoream incapacem substantialis formæ, seu non constitutam per actualitatem illius, si integra & completa sit: si vero sit simplex, & sub quantitate subsistens, non esse integram, sed potentialem partem indigentem actualitate formæ. Et confirmatur, nam talis substantia non posset esse secundum se totam actiua villo actionis genere:

non enim actione immanente, cum esset res inanimis, nec vero transeunte, quia hoc excedit limites naturalium agentium, qualia sunt corpora cælestia: & ita potius esset nullius actiuitatis, aut efficacis. Sicut ergo corpora cælestia non agunt, nisi inducendo formam in materiam, ita etiam non sunt, nisi per existentiam propriæ formæ in propria materia. Quocirca quamuis simplicitas, cæteris paribus, sit indicium & argumentum perfectionis, tamen illa simplicitas in substantia corporea non esset indicium perfectionis, sed potius imperfectionis: nec enim semper entia, quod simpliciora, eo perfectiora sunt.

## SECTIO XI.

An materia incorruptibilium corporum sit eiusdem rationis cum elementari.



In hac re fuit sententia Auicennæ, eandem secundum speciem esse materiam omnium corporum, tam cælestium, quam terrestrium, & corruptibilium, quam incorruptibilium, quam opinionem multi ex Theologis secuti sunt, præsertim Agicius locis citatis, & in eandem inclinat Scotus, & alij. Potest autem hæc sententia duobus modis defendi. Primò, asserendo cælum esse corpus corruptibile, & elementalis nature, & hoc modo eam docuit Plato, vt etiam D. Thomas infra citandus meminit: & Nemelius lib. de natura hominis, cap. 5. refert, Platonem posuisse cælum ex igne & terra. Secundò potest illa sententia defendi simul cum cæli incorruptibilitate, & utroque modo à nobis tractabitur, quamuis in præsentia nos potius supponamus incorruptibilitatem aliquorum superiorum corporum, & ea incorruptibilitate supposita, materialem causam eorum inquiramus. Fundari autem potest prædicta opinio partim in naturali ratione, partim Theologica.

Primario ratio Metaphysica est, quia impossibilis videtur distinctio specifica inter materias, quia teste Aristotele 7. Metaphysicæ, textu 49. actus est, qui distinguit, præsertim specificè & essentialiter: sed quilibet materia est pura potentia: ergo non potest in ea reperiri distinctio specifica. Et confirmatur, quia materia prima est infimum ens substantiale, quod esse potest, & ideo ab Augustino dicitur esse prope nihil: ergo intra latitudinem materie non potest dari specifica distinctio: aliàs, cum duæ res specie diuersæ necessariò sint inæqualis perfectionis, esset vna materia essentialiter perfectior alia, atque ita aliqua materia non esset infimum ens, nec summè distans à Deo, quod repugnat imperfectiori materie. Nam pura potentia extreme opponitur puro actui, videnturque esse quasi duo extrema totius latitudinis substantiarum, vnde, sicut in puro actu non potest esse specifica distinctio, ita nec videtur possibile in pura potentia.

Secunda prædictæ opinionis ratio sit, quia talis distinctio necessaria non est. Si quid enim cogeret ad illam introducendam, maximè incorruptio cælorum, sed hoc non. Primò quidem, quia licet cæli nunquam actu corrumpantur, non inde fit ab intrinseco esse incorruptibiles, fieri enim potest, vt licet ex visu compositionis substantialis cælum corruptibile sit, de facto tamen nunquam corrumpatur, quia in suo loco naturali existens, & distans ab omnibus agentibus contrarijs, est ita dispositum vt omnibus resistere possit. Vel secundò, quia licet cælum constet ex hac materia, potest esse naturaliter incorruptibile ab intrinseco. Quia sola materia prima non est sufficiens principium incorruptibilitatis, nisi etiam forma talis sit, vt vno eius sit separabilis à materia, quod duplici ex capite provenire solet:

solet: scilicet, vel quia forma talis est, ut non repleat totam capacitatem materie: vel quia vnitur materie: medijs dispositionibus habentibus contrarium: quæ duæ rationes inueniuntur in formis rerum generabilium, non autem in formis cœlorum, nam forma cœli propter suam eminentem perfectionem virtute continet inferiora, & ita per se se replet totam materie capacitatem, & propterea vnitur materie per dispositiones non habentes contrarium, vnde Aristoteles inde solum probauit, cœlum esse incorruptibile quia non habet contrarium. Sic ergo conficitur ratio, nam ut cœlum sit incorruptibile, fatetur, quod vnio eius cum materia sit naturaliter indissolubilis, sed hoc esse potest absque diuersitate materie propter modum informationis & dispositionum: ergo propter hanc causam non oportet illam materiarum distinctionem introducere. Quod potest declarari exemplo Theologico, nam vnio humanitatis Christi ad Verbum indissolubilis est, quamquam illa humanitas ex se sit capax propriæ subsistentiæ & illa careat, quia subsistentia Verbalis est, ut repleat capacitatem humanitatis & contrarium non habeat: sic ergo in præfenti intelligi potest de informatione formæ cœli, etiam si sit in materia rerum generabilium. Et confirmatur, quia aliis, si propter incorruptibilitatem cœlorum oporteret materiam eorum distinguere à materia inferiori, eadem ratione distinguenda esset materia vniuscuiusque cœli à materia aliorum, quod videtur valde absurdum: sequela autem patet à paritate rationis.

IV. Tertio addunt Theologi fundamentum sumptum ex prima rerum creatione, quod hic prætermittere non possumus, ut declarem Metaphysicam non repugnare Theologicæ. Aiunt ergo ex historia Genesis constare, Deum ex eadem materia cœlos & elementa condidisse, ideoque nulla esse corpora, quæ ex distinctis materiis consistunt. Antecedens probatur ex illis verbis Genes. 1. In principio creauit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis & vacua, & tenebre erant super faciem abyssi. Vbi Augustinus 11. Confess. ca. 7. intelligit, per cœlum significari naturam angelicam, nomine autem terræ materiam primam, ex qua omnia corpora formata sunt. Alij vero, quia illa interpretatio illius vocis cœlum, nimis videtur Metaphorica, nomine cœli significari dicunt cœlum Empyreum, quod est sedes Beatorum, de quo multa in antiquis Patribus leguntur, ut videre licet apud Damascen. lib. 2. fidei, cap. 6. & Theodoretum Questionum super Genes. quæst. 11. & 14. & Basilium, homil. 2. & 3. in Genesim, & Bedam in suo Hexamer. in principio, & Chrysostomum exponentem verba illa ad Hebræos 8. Sanctorum minister & tabernaculi Dei, quod fixit Deus & non homo, & Hilarium in illa verba Psalmi 122. Ad te leuavi oculos meos, qui habitas in cœlis: & Diodorum apud Lippomanum in Catena super Genesim. Nomine autem terræ significari dicunt materiam primam, seu corpulentam massam ex qua Deus omnia corpora formauit, in quo cum Augustino conueniunt. Quam opinionem sequitur Abulenensis in Genesim, & tribui solet Bedæ, Straboni & Hugoni Victori, & eandem insinuat Theophil. Antiochenus lib. 2. ad Autolichum, aliquantulum à principio: & Philastro libro de hæresibus inter ignorantias quorundam hæreticorum refert, quod duplicem terræ acceptionem ignorauerint. Vna, qua significat hoc elementum, quod inhabitamus. Altera, qua significat Hyle, id est, materiam inuisibilem & incompolitam, quæ veluti matrix est omnium rerum. Quæ sententia confirmari potest difficili loco Sapientie 11. Omnipotens manus tua creauit orbem terrarum ex materia inuisa: hæc ergo materia nomine terræ significata est, & ex illa, tanquam ex materia, constat totus terrarum orbis.

V. Alij vero, quoniam hæc etiam interpretatio non Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

minis terræ valde Metaphorica est, & aliena ab historica narratione, proprie intelligunt ea voce significari elementum terræ, quod Deus primo die simul cum cœlo Empyreo creauit. Addunt tamen simul cum eis creatam fuisse aquam, quæ totum illud spatium replebat, quod inter terram & cœlum Empyreum interiectum est, ex qua postea Deus omnes cœlos & elementum ignis & aeris creauit: atque ita concludunt, hæc omnia corpora ex eadem materia constare. Assumptum vero probant ex illis verbis proximè sequentibus: Et tenebre erant super faciem abyssi: abyssus enim est copiosa aqua, ad cuius fundum non facile penetrari potest, ut Basilus declarat super Genesim, & Augustinus in Psalmo 14. Vnde statim subditur: Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Fuerunt ergo aquæ simul cum terra & cœlo, & inter terram & cœlum procreatæ: & cum verisimile non sit aliquod spatium interpositum inter cœlum & terram mansisse vacuum, constat totum repletum fuisse aquis, quia Scriptura non facit mentionem alterius corporis tunc procreati, quo repleti posset. Atque ita concluditur, cœlum productum esse ex aqua. Cui sententiæ fauent verba illa Petri 2. Epist. capit. vlt. Latet hoc volentes, quod cœli erant prius, & terra de aqua & per aquam consistens verbo Dei. Idemque dixisse eundem Petrum cum Simone Mago disputantem refertur in libr. 1. Recognition. Clementis circa principium. Denique vox etiam Hebræa, qua cœli Samaim appellantur, huic sententiæ fauet, nam (ut ait Hierony. Epist. 83. ad Oceanum) illud nomen ex aquis sumptum est. Aliqui vero addunt, corpus illud quo spatium inter terram & cœlum replebatur, non fuisse proprium elementum aquæ, sed aqueam materiam, quasi vaporem quendam aut nebulam, iuxta illud Ecclesiastici 24. Sicut nebula, texi omnem terram: & illud Job. 38. Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens, cum ponerem nubem Vestimentum eius, & caligine illud, quasi pannus infantie, obuoluerem? Et ex hac materia nebulosa aiunt creatos esse cœlos omnes præter Empyreum, atque ita sit, ut eadem materia consistat.

Et confirmatur hæc opinio, alia duplici sententia Scripturæ. Vna est, quod sunt veræ aquæ super firmamentum, id est, super octauam & stellatam spheram, ut constat ex eodem Genes. 1. Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas, ab aquis, & fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab ijs, quæ erant super firmamentum: & in alijs Scripturæ locis sæpe fit mētio aquarum supra cœlos existentium, ut Psalm. 103. & 148. & apud Danielelem in Cantico trium puerorum. Ex hac ergo Scripturæ sententia colligitur, cœlum non esse alterius materie, quam elementum aquæ, fuisseque ex aqua formatum, partemque aquarum super ipsum fuisse relictam. Altera sententia Scripturæ est, cœlos aliquando fore corruptendos, & igne comburendos, & in meliorem substantiam transformandos, ut videtur expresse prædicere Isaias ca. 51. & 65. & clarius D. Petrus 2. Canonic. ca. vlt. & indicatur multis alijs locis. Hinc ergo recte colligitur, constare cœlum materiam capaci substantialis mutationis, & consequenter habere materiam eiusdem rationis cum materia horum inferiorum.

#### Posterior sententia priori contraria.

Secunda sententia docet, materiam cœli esse diuersæ rationis à materia horum inferiorum, vel, ut vniuersalius, magisque Metaphysice loquamur, materiam corporum incorruptibilium necessario esse diuersæ rationis à materia corruptibilium corporum. Ita docet D. Thom. 1. par. q. 66. artic. 2. & 1. 2. qu. 49. art. 4. & 2. cont. Gent. cap. 16. & eam sequuntur authores citati in superiori sectione. Imo etiam

A a

Com.

Comment. 8. Metaph. com. 12. licet absolute neget, coelum habere materiam, sub conditione tamen ait, si illam habet, eam esse diuersae rationis. Atque haec est sine dubio sententia Aristotelis locis citatis pro opinione Commentatoris in superiori puncto: nam in eis plane negat, coelum habere talem materiam qualem habent haec inferiora: unde cum alijs locis dixerit habere materiam, necesse est, ut illam asserat esse diuersae rationis. Id quod disertis fere verbis affirmat 12. Metaph. text. 11. & in hoc sensu communiter exponitur, quod lib. 10. Metaphysic. cap. 5. ait, corruptibile & incorruptibile differre genere, non est enim hoc verum de genere logico, cum corpora corruptibilia & incorruptibilia in genere substantiae & corporis conueniant, oportet ergo intelligi de genere physico, quod omnes materiam esse intelligunt, quae ita appellatur, quia eam proportionem seruat ad formam, quam genus ad differentiam. Unde 1. de generatione. cap. 6. apertius dicit, ea quae non possunt mutuo agere & pati, non habere eandem materiam. Est ergo haec sententia magis consentanea Philosophica doctrina: ut vero simpliciter veritatem esse ostendamus, paulatim procedendum est, iuxta tria fundamenta prioris sententiae.

*Matariarum specifica diuersitas non repugnat.*

## VIII.

Dico primo, nihil repugnare naturis rerum quod in substantialibus potentijs & materijs detur specifica & essentialis diuersitas. Probatur primo ostensione ex ijs, quae in superioribus dicta sunt de natura materiae primae. Ostendimus enim habere veram essentiam, realem, & substantialem, & in genere entis habere suam actualitatem entitativam, quamuis incompletam, & cum habitudine ad formam: ergo in illo gradu & modo essentiae partialis potest esse diuersitas, & maior & minor essentialis perfectio. Pater consequentia, quia nec ex parte Dei est impotentia, nec ex parte rei est repugnantia. Sicut enim potentia passiva, accidentalis potest esse diuersa specie, quia ad actum specie & genere diuersum ordinatur: eodem modo possunt distinguere potentiae substantiales. Quod declaratur amplius, nam formae substantiales quaedam sunt, quae vniuntur materijs per generationem totius, quae lato modo dici possunt formae generabiles: aliae vero sunt formae, quae non possunt fieri aut vniiri per generationem, sed per creationem vel concreationem tantum: ergo si instituitur materia apta ad recipiendas solas formas prioris generis, & incapax aliarum, erit plane diuersae naturae a materia capaci ingenerabilium formarum: non autem repugnat, ut huiusmodi materia cum tali natura & capacitate instituitur: ergo non repugnat fieri materies diuersarum naturarum & essentialium.

## IX.

Secundo potest hoc probari, soluendo fundamentum primae sententiae & omnes rationes quibus probare conantur eius defensores hoc esse impossibile. Cum enim ex Aristotele adducitur illud principium: *Actus est qui distinguit*, si nomine actus in tota sua latitudine utamur, facile respondebimus, materiam vnam distinguere specie ab alia per intrinsecam differentiam essentialem, quae ad genus materiae comparatur ut actus Metaphysicus: iam enim supra ostendimus, non repugnare purae potentialitati materiae in genere Physico, constitui ex potentia & actu Metaphysicis. Neque enim necesse est recurrere ad Analogiam materiae in communi respectu materiarum diuersarum rationum, quam constituit Caieta. 1. p. qu. 66. art. 2. Talis enim Analogia nulla probabili ratione fundatur, cum essentialis ratio potentiae substantialis propriissime conueniat cuilibet materiae, & sine ulla habitudine vnius ad aliam. Itaque, si

de actu Metaphysico loquamur, quaelibet materia in se habet intrinsecum actum, quo ab alia distinguitur, quod manifeste conueniunt ex distinctione essentiali materiae ad formam, nam si actus est qui distinguit, necesse est ut materia in se habeat actum, quo a forma distinguitur. Eo vel maxime, quod valde probabile est, dari conceptum communem vni vocum & genericum ad materiam & formam, eo scilicet modo, quo in partibus potest genus reperiri, iuxta supra dicta de vniuersalibus: huiusmodi namque esse videtur conceptus naturae, aut principij vel causae intrinsecae & essentialis: hoc ergo genus per differentias oppositas diuiditur tanquam per actus: ita ergo potest communis ratio materiae per varias differentias distinguere. Quod si sit sermo de actu Physico seu reali, adhuc distinguere possumus de actu entitativo vel formali, & priori modo non oportet, ut quaelibet simplex entitas distinguitur ab alia dissimilis naturae per alium actum, praeter ipsius rei entitatem. Quia entitas simplex non potest in re distinguere ab alia, nisi se ipsa: nam eodem distinguuntur, quo est. Loquendo autem de posteriori actu, scilicet formali, sic etiam illi attribui potest omnis distinctio, quatenus vel per ipsum, vel per habitudinem ad ipsum sit: sic enim compositum distinguitur per formam, ut per actum constituentem: vna vero materia distinguitur ab alia per habitudinem ad diuersam formam generabilem vel ingenerabilem, ut declarauimus.

Et declaratur amplius conclusio, quia materiae primae non repugnat vnitatis specifica cum distinctione numerica: ergo nec repugnat distinctio specifica cum vnitatis numerica. Consequentia inde probatur, quia sicut actus est qui distinguit, ita etiam actus est qui dat vnitatem, & qui constituit speciem naturam: prius enim secundum rationem est constituere, quam distinguere. Item, quia sicut genus comparatur ut potentia ad differentiam speciem, ita species ad differentiam indiuidualem. Ac denique quia etiam numerica distinctio, cum sit actualis & realis, debet fieri per actum, ut constat ex superioribus dictis de principio indiuiduationis. Primum vero antecedens quoad vtramque partem manifestum est. Nam quoad priorem, omnes fatentur materias omnes rerum generabilium esse eiusdem speciei. Primo quidem, quia sunt omnino similes in essentia, unde & eandem habent definitionem. Secundo, quia quaelibet portio materiae est capax omnium formarum, quatum est alia, nam quaelibet est commune subiectum harum transmutationum, & ideo recte dixit Aristoteles, eas res vnam habere materiam, quae sunt inuicem transmutabiles quod de vnitatis specifica necessario intelligendum est. Denique supra late probauimus, primam causam materialem rerum generabilium non posse esse nisi vnam, utique secundum speciem, id quod docet Aristoteles toto primo libro Physicorum, praeterim text. 69. & Comment. ibi, & 12. Metaph. Comment. 14. & D. Thom. 1. par. quaest. 66. artic. 2. Nec probandum est modum loquendi quorundam dicentium, materiam generabilium esse vnam specie negatiue, non positue, volunt enim vnitatem speciem posituam esse per formam. Est tamen inepta distinctio, nam si loquantur de vnitatis pro formali, omnis vnitatis negatiua est, si autem pro fundamento vnitatis, hoc tam posituum in multis materijs, sicut in multis formis vel compositis, nam vere habet posituam essentiam, & posituam similitudinem, seu conuenientiam in tota sua essentiali natura. Quoad alteram etiam partem de distinctione numerica, res est clarissima: corpora enim duorum hominum numero differunt: ergo & materiae eorum, quam distinctionem retinent, etiam si priuentur suis formis. Quin etiam materiae, quae sunt sub formis specie diuersis, quamuis quoad dispositiones proximas di-

*Actum distinguere, qualiter intelligendum.*

cantur differre aliquo modo specie, vt sumitur ex Aristotele 8. Metaph. text. 11. tamen materia primæ quoad entitates suas solum sunt numero diuersæ, cum qua distinctione conseruare possunt absq; vlla forma actui informate. Nec refert, q; tota hæc materia generabilium posset sub forma eiusdem rationis constitui, & sub eadem quantitate continua, & ita esse vno numero, nam hæc vnitas vel distinctio in materia talis est, qualis esse solet in rebus homogeneis, quarum partes integrantes, si sint actu diuise, sunt etiam plura indiuidua simpliciter, & actu distincta numero, si vero non sint diuise, sed continue, actu sunt vnum numero: & plura in potentia. Sicigitur constat, vnitatem vel distinctionem, tam specificam, quam genericam, vel numericam non repugnare cum natura vel essentia materiae.

Ad confirmationem, quæ fundabatur in imperfectione materiae, respondetur primo, probabile esse materiam vt sic secundum suum commune genus tam esse imperfectum ens, vt nullum possit esse in genere substantiæ magis infimum & imperfectum, non solum comparando genus ad genus, quod clarissimum est, sed etiam comparando omnia & singula contenta sub genere materiae ad alia omnia, quæ sub aliis generibus, vel rationibus substantiæ continentur. Declaratur hoc, nam materia vt sic distinguitur intra latitudinem substantiæ, tum à forma, tum à substantia completa, siue composita, siue simplici, atque hoc modo clarum est, genus materiae, vt sic minus perfectum esse, quam genus formæ, & à fortiori quam substantiam compositam vel completam. Possumus tamen vltius comparare quamlibet formam cum qualibet materia, & sic non est tam euident, omnem materiam esse inferiorē quamlibet forma. Quid enim, si quis dicat, materiam cœli Empyreï esse perfectius ens, quam sit forma terræ? qua enim euidenti ratione demonstrabitur, id esse falsum? Nam quod forma illa plus habeat de ratione actus aquantis, non videtur satis conuincere, quia etiam accidentia habent plus de ratione actus aquantis, quam materia, & nihilominus in sua entitate actuali simpliciter sunt minus perfecta, quia absolute minorem perfectionem conferunt in genere entis. Sic ergo dicere quis posset, meliorem esse materiam, quæ veluti inchoat perfectissimum corpus, quale est cœlum Empyreum, quam sit forma, quæ veluti consummat & complet corpus imperfectissimum, quod est terra. Nec etiam obstat, quod illa materia sub genere minus perfecto contineatur, nam sæpe accidit perfectam speciem sub genere minus perfecto esse simpliciter nobiliorem, quam sit aliqua species infima sub meliori genere, sicut voluntas est absolute perfectior potentia, quam visus, licet hic contineatur sub genere potentie cognoscentis, quod nobilius est. Nobilitas enim generis non est sumenda ex comparatione omnium & singulorum specierum, sed vel secundum se & comparando præclaras rationes, vel certe conferendo supremam speciem vnius generis ad supremam alterius. Quamquam vero hoc ita disputari possit, nihilominus tamquam probabilius admittim⁹, quamlibet materiam esse inferiorē quamlibet forma, quia est pura potentia in genere substantiæ, sub quo genere parum perfectionis participare potest. Item, quia alias facile posset quis dicere, aliquam materiam esse perfectiorem aliqua substantia completa & integra, quia cum ponatur esse perfectior quam forma, & alioqui includat totam materiae perfectionem, facile fieri potest, vt, saltem intentione, excedat in perfectione aliquam substantiam integram, & compositam, quod verisimile non est. Hocigitur modo optime explicatur, materiam primam esse infimum ens, non solum ratione huius inferioris materiae rerum generabilium, de qua potissimum locutus est Augustinus, cum dixit, materiam esse prope nihil: sed etiam

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

ratione totius generis, seu totius latitudinis materiae, nam tota pertinet ad infimum gradum substantialis entis.

Non vero spectat ad hanc infimam materiae perfectionem, vt in eius latitudine non possit esse gradus, vel maior & minor essentialis perfectio, quia non oportet, vt illa perfectio materiae sit omnino indiuisibilis essentialiter: nam, vt declarauimus, per varias differentias diuidi ac contrahi potest. Neque quoad hoc comparanda est pura potentia cum puro actu, cuius signum manifestum est, quia purus actus essentialiter est vnus numero & singularis, non autem pura potentia. Ratio autem est, quia purus actus in se constituitur per infinitam perfectionem simpliciter, in se includentem omnem aliam perfectionem, cui infinitati & continentie repugnat multiplicatio tam essentialis, quam generica, vt postea videbimus. Pura autem potentia non constituitur per infinitam perfectionem, vt per se constat, cum sit infima perfectionis: neque etiam constituitur per carentiam omnis perfectionis, nec per inclusionem (vt sic dicam) omnis imperfectionis, nec denique de ratione materiae vt sic, est quod habeat infimam & indiuisibilem perfectionem Physicam, nam ratio puræ potentie hoc non postulat, & aliunde id non habet. Sed hic statim occurrebat querendum, quænam harum materialium, sit minus perfecta, non enim sunt æquales, vt iam concessimus, & ratio specificæ distinctionis postulare videtur. Rursus queri potest, an possit fieri alia materia minus perfecta essentialiter, quam sit qualibet materia creata, & consequenter an in eis materiis possit procedi in infinitum. Sed hæc declarabuntur commodius sectione sequente.

Assertio secunda.

Dico secundo, si solam rationem spectemus, probabilius est, materiam cœlorum esse diuersæ rationis à materia rerum generabilium. Ad probandam hanc conclusionem, supponimus cœlum esse ingenerabile & incorruptibile. Quamquam, vt dixi, nos hoc loco non agimus de cœlo, quasi materialiter (vt sic dicam) sed formaliter de corpore incorruptibili. Est autem certum, non repugnare dari aliquod corpus incorruptibile, de quo procedit questio proposita, siue illud de facto detur, siue non. Rursus de aliquo corpore cœlesti, saltem de Empyreico cœlo, Theologi pro comperto habent, esse corpus incorruptibile, vt ex authoribus superius citatis constat. Denique, quamquam de inferioribus orbibus multi existiment eos esse corruptibiles, & nonnulli ex antiquis Patribus id interdum significant, & moderni etiam Astrologi ex quibusdam apparitionibus cometarum, id se demonstrare existiment, nobis tamen verisimilior est Aristotelis sententia, illa omnia corpora vsque ad cœlum Lunæ esse natura sua incorruptibilia: tum propter experientiam, videmus enim corruptibilia corpora, vel secundum se tota, vel secundum partes, aut corrumpi, aut alterari, peregrinas impressiones recipiendo, aut à naturali statu interdum cadere: at vero vetustissimo experimento constat, cœlos, tam secundum se totos, quam secundum omnes partes suas, integros à creatione mundi permanisse & inuariabili vniformitate eodem modo moueri, nec alterari, aut deici à statu connaturali, ex qua experientia ortus est communis omnium gentium consensus, existimantium cœlum ex se perpetuum esse, vt Aristoteles lib. de Mundo ad Alexandrum, & secundo de cœlo ca. 1. adnotauit. Tum etiam quia hoc est magis cōsentaneum fini, propter quem corpora illa creata sunt, nimirum vt sint quædā causæ vniuersales, quæ suo motu & influxu vniformiter variabili adiuuent hæc omnia inferiora, vt per continuā successionem

XII.

XIII.

Cœlestes orbis omnes incorruptibiles.

A a 2

& ge.

& generationem cōseruentur: ad hunc autem finem necessarium fuit, vt cœli essent perpētui, & eodem modo inuariabili mouerentur. Tum denique, quia non repugnat cœlos esse creatos naturæ incorruptibilis, vt ex dictis constat, & magis patet ex dicendis: ergo verisimilius est, tales creatos esse: nam, vt dixi, hoc est magis consentaneū finī eorum, & magis etiā pertinet ad perfectionem & pulchritudinem vniuersi, neq; in Scriptura diuina est aliquid, quod huic Philosophicæ rationi repugnet, vt sequenti assertione ostendam. Imo sunt multæ locutiones, quæ illi fauent, vt quod cœli firmissimi 2. Paralipomenon 6. & solidissimi, Iob 37. & æterni, scilicet in posterum, Psalm. 148. & 2. ad Corinth. 5. dicuntur.

XIV.  
Probatio  
conclusionis.

Hoc ergo supposito, probatur conclusio posita, quia, si cœlum esset compositum ex materia elementorum, tam esset ex se corruptibile, quàm sunt ipsa elementa. Probatur sequela, quia materia cœli esset capax aliarum formarum, v. g. elementorum, & careret illis: ergo esset subiecta propriæ priuationi talium formarum, & consequenter, quantum est ex se, illas appeteret, sed hæc est tota radix corruptibilitatis elementorum, ergo. Respondent alii, negando Maiorem, quia materia dum est sub vna forma, non est capax alterius, quia nō potest habere vtramque simul, & ideo non habet propriæ priuationem, neq; appetitum alterius, quia ea forma, quam habet, contenta est. Sed hoc friuolum est, nam capacitas ad plures formas non est in sensu composito (vt aiunt) sed diuinitim declaranda, est enim idem subiectum capax contrariarum formarum, non quia possit simul vtramque recipere, sed quia de se indifferens est, vt vnam vel aliam suscipiat, atq; hoc satis est, vt, quando vnam habet, vere sit altera priuatum, quia vere caret forma, cuius est capax. Alias neque materia generabilium rerum esset subiecta priuationi, neque in aliquo subiecto, in quo est forma, vel qualitas positiva, esset vnquam priuatio formæ oppositæ, quod est contra communem omnium sensum, & loquendi modum. Denique, materia generabilium non alia ratione est principium corruptionis, nisi quia hoc modo est capax aliarum formarum, quibus caret, & ea ratione dicitur eas appetere, secundum Metaphoram, nam hic appetitus non est aliud à naturali capacitate, vt in prima Disputatione procemiali declaratum est.

Quorundam  
respon-  
sio refuta-  
tur.

XV.

Alij respondent, formam cœli explere capacitatem materiæ propter suam eminentiam & virtutalem continentiam, & ob hanc peculiarem rationem, materiam existentem sub tali forma non appetere alias, nec propriæ esse capax illarum. Sed hoc etiam est falsum, nam forma cœli non continet eminenter ac virtute omnes alias formas, non enim continet animam rationalem, neque alias formas perfectiorum viuentium, neque forma vnus cœli eminenter aut virtute continet formas aliorum cœlorum, supposito quod specie differant. Vnde, cum dicitur forma cœli explere capacitatem materiæ, intelligi potest intensiue, & hoc neq; est verum, nec satis est, nam anima rationalis perfectius actuat materiam, & cum illa sit perfectissima, illa sola dici potest explere intensiue capacitatem materiæ, & nihilominus relinquit illam ita capacem aliarum, vt sit sufficiens principium corruptionis. Responderi potest animam rationalem excedere formam cœli in gradu formæ, excedi tamen in modo informandi. Nos vero dicimus, ex hoc excessu & informandi modo colligi sufficienter diuersitatem materiæ, & alias explicari nō posse, qualis sit ille excessus, vt ex sequentibus magis constabit. Vel ergo intelligitur forma cœli explere capacitatem materiæ extensiue, & hoc est impossibile, si illa materia est eiusdem omnino rationis & capacitatis cum hac nostra materia, quia de se est plane indifferens ad omnes formas quarum perfectiones nec formaliter continet forma cœli, nec eminenter. Quapropter fieri non

potest vt per se sola & per suum informandi modum repleat capacitatem talis materiæ.

Alia responsio est, capacitatem materiæ dupliciter posse considerari: vno modo secundum se & quā remote, alio modo proximè, & vt est reducibilis ad actum. Priori modo concedunt materiam cœli esse capacem aliarum formarum, vt argumentum factum probat, & similiter habere priuationem, & quasi radicalem appetitum: proximè vero negant habere capacitatem, quia iam illa materia ita est affecta, disposita & actuat, vt non sit reducibilis ad aliū actum, eo quod non sit separabilis ab illo quem nunc habet. Hoc autem prouenit partim ex dispositionibus, quæ non habent contrarium, partim ex ipsamet informatione seu modo informandi, qui talis est, vt inseparabiliter coniungat talem formam huic materiæ. Materia autem est principium corruptibilitatis, non prout consideratur secundum remotam capacitatem, sed prout est proximè disposita & affecta. Hæc quidem responsio est probabilis, non tamen ita satisfacit, quin contraria opinio probabilior relinquatur. Primò quidem, quia vt agens possit alterare passum, non oportet vt supponat in illo dispositionem positivè contrariam, sed satis est vt supponat capacitatem cum priuatione, nam hæc, adiuncta forma, quam agens introducit, sunt sufficientia principia naturalis mutationis: ergo licet in cœlo non sint dispositiones directæ & positivè contrariæ qualitatibus elementorum, si tamen in eo est materia capax talium qualitatuum, & carens illis, hoc satis est vt possit cœlum ab elementis alterari, & peregrinas impressiones recipere. Dices, habere cœlum nobiles aliquas qualitates formaliter repugnantes, & resistentes omnibus his inferioribus qualitatibus. Sed hoc in primis dicitur voluntarie & sine probatione, ac deinde ex illa responsione ad summum habetur, cœlos non posse corrumpi, quia non est inferiori agente, virtus quæ possit vincere resistentiam passi, si ergo virtus actiua augetur, aut fortior redderetur, posset cœlum alterare & ad corruptionem disponere.

Ac deniq; licet daremus esse possibilem illum incorruptionis modum, tamen negari non potest quin facilius & nobilior modus sit, si cœlum non per resistentiam qualitatuum, sed per intrinsecam & substantialem compositionem sit incapax peregrinarum impressionum & formarum. Cum ergo cœlū factum sit, vt ab his omnibus impressionibus & alterationibus sit abstractū, & vt materia eius nunquam mutetur formam, verisimilius est factam esse de se incapacem omnium harum formarum & qualitatuum, atq; adeo non solum quoad formam, sed etiam quoad materiam esse cœlum alterius rationis & ordinis ab omnibus inferioribus corporibus. Quod si quis dicat, hanc incapacitatem peregrinarum impressionum corruptentium non esse tribuendam aut incapacitati materiæ, aut qualitatibus resistentibus, sed modi informandi formæ: Contra hoc est, quia si materia habet eandem capacitatem, vix potest intelligi, quomodo per solum modum informationis reddatur ipsum compositum incapax inferiorum qualitatuum. Maximè cum passiva potentia ad recipiendas has qualitates conueniat corporibus ratione materiæ. Et propter hanc causam Aristoteles locis supra citatis merito existimauit sicut ea quæ mutuo transmutantur, communem habent materiam, ita etiam è conuerso, quæ transmutari non possunt, non habere materiam cōmunem, quia sola diuersitas in forma non potest ad id sufficere. Accedit, quod licet forma cœli habeat talem informandi modum, vt natura sua possit in inseparabilitate in se subiecto quod informat: tamen per hoc ipsum sufficienter indicatur, materiam illi formæ subiectam debere esse diuersæ rationis. Quia potentia distinguuntur per actus, sed forma illo modo informans, est actus longe diuersæ ratio-

XVI.

XVII.

XVIII.

XIX.

XX.

XXI.

XXII.

XXIII.

XXIV.

XXV.

XXVI.

XXVII.

XXVIII.

XXIX.

XXX.

XXXI.

XXXII.

XXXIII.

XXXIV.

XXXV.

XXXVI.

XXXVII.

XXXVIII.

XXXIX.

XL.

XLI.

XLII.

XLIII.

XLIV.

XLV.

XLVI.

XLVII.

XLVIII.

XLIX.

L.

LI.

LII.

LIII.

LIV.

LV.

LVI.

LVII.

LVIII.

LIX.

LX.

LXI.

LXII.

LXIII.

LXIV.

LXV.

LXVI.

LXVII.

LXVIII.

LXIX.

LXX.

rationis à forma generabili, & posulat in subiecto conditiones longe diuersas, nempe inseparabilitatem & plenam satietatem & (vt ita dicā) perpetuam quierem sub tali actu: ergo potentia seu materiz ordinata ad huiusmodi actus distincta sunt.

Vltimo possunt rationes non minus efficaces sumi ex eo quod cœlum est ingenerabile naturali generatione, hætenus enim solū incorruptibilitatem eius pōderauimus. Si ergo materia aeris & Solis, verbi gratia, essent eiusdem rationis, esset nunc materia aeris capax formæ Solis, & carens illa, & appetens illam, non enim est minor ratio de illa, quam de alijs formis quarum est actus. Ergo quantum est ex parte causæ materialis, cœlum re verà est generabile ex aere, ergo simpliciter est generabile. Patet cōsequētia, tum quia hæc denominatio maximè sumitur ex parte materiz, tum etiam, quia potentia passiuæ naturalis correspondet potentia actiuæ naturalis, alias superflua esset & otiosa talis potentia in rerū natura. Vel certe quamuis de facto non daretur talis vis actiua, non tamen repugnaret dari intra ordinem agentium naturalium. Atq; ita quantum est de se cœlum esset naturaliter generabile. Quin potius nulla ratio reddi posset: cur cœlum ipsum aut Sol non possit ex materia sibi applicata generare sibi simile, quia datur in natura subiectum continens in potentia illam formam & carēs illa: ergo illa forma factibilis est per educationem de potentia talis subiecti: ergo & in suo esse & gradu finita est, & in modo quo fieri potest: ergo per virtutem finitam agentis naturalis educi potest: cur ergo non est in cœlo aut in Sole talis virtus ad generandum sibi simile? certe non potest vllā ratio Philosophica assignari. Cum ergo cœlum sit ingenerabile, forma eius talis est, vt nec possit educi de potentia materiz, neque illi vniri per generationem: ergo non continetur in potentia illius materiz, quæ est subiectum generationis, neque illam respicit, aut actuare potest: ergo è contrario materia, quæ subijcitur tali formæ, natura sua est subiectum incapax generationis, & consequenter est diuersæ naturæ ab alia materia, quæ est generationis subiectum. Atq; hæc rationes, quamuis exempli causa de materia cœli factæ sint, tamen vniuersæ & formaliter procedunt de corpore ab intrinseco incorruptibili, quæ magis confirmabuntur soluendo secundum fundamentum prioris sententiæ.

Fundamentum ergo secundum prioris sententiæ ex confirmatione præcedentis assertionis solum est, iam enim satis ostēdimus, quomodo ex corporis incorruptibilitate, si omnino naturalis & intrinseca sit, inferatur diuersitas materiz: & omnia, quæ in difficultate illius fundamenti attinguntur, sigillatim sunt à nobis tractata & expedita. Exemplum autem quod ibi adducitur de indissolubili vnione humanitatis Christi, nihil ad rem præsentem refert: non enim negamus aliquam vnionem posse esse indissolubilem natura sua, sed dicimus, huiusmodi vnionem formæ cum materia esse indicium diuersitatis non solum in forma, sed etiam in materia: tum quia potentia proportionatur actui, tum etiam, quia talis vnio posulat materiam incapacem peregrinarum impressionum.

Comparantur materia cœlorum inter se.

IN confirmatione vero illius fundamenti petitur specialis difficultas de materijs cœlorum, an inter se etiam differant specie, in qua loqui possumus, vel supponendo celestia corpora esse eiusdem speciei, vel ex hypotheti, quod differant speciei: & vt sæpe dixi, nihil ad præsentem quæstionem refert, quid de facto in hoc verius sit, nam satis est loqui de possibili, in quo non est dubium, quin possint dari corpora incorruptibilia & eiusdem & diuersæ speciei. Si ergo loquamur de corporibus habentibus formas eiusdem

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

rationis, nulla superest quæstio, quin materiz debeant etiam esse eiusdem rationis essentialis, quia non habent, vnde distinguantur. Neque talis conuenientia in materia potest obitare incorruptibilitati talium corporum, quia simile non patitur à simili, vnde inter talia corpora non potest esse naturalis actio & transmutatio, nec materia vnus appetit formam alterius, cum sint eiusdem speciei. Et quoad hoc eadem est ratio de diuersis corporibus, quæ de diuersis partibus homogeneis eiusdem corporis: partes autem eiusdem corporis homogenei distinctas habent portiones materiz, eiusdem tamen rationis, sicut sunt formæ. Non est autem improbabile, hanc singularem materiam talis speciei esse naturaliter coaptatam & proportionatā huic singulari formæ, & cum ea habere peculiare vinculum, & propriam indiuidualem habitudinem, quanquam id incertum sit, parumque ad rem præsentem referat.

Difficultas ergo in prædicta confirmatione tacta procedit supponendo distinctionem specificam inter huiusmodi corpora, siue illa intercedat inter corpora integra, qualia sunt, verbi gratia, cœlum Empyreum & cœlum Lunæ, quæ specie differre longe verisimilius est, siue se habeant vt partes eiusdem corporis, vt sunt alia respectu aliarum partium corporum celestium. De his ergo omnibus est difficultas, quia si ratio facta est efficax, & quæ probat, materias omnium corporum incorruptibilium specie differentium esse etiam specie differentes, quod videtur incredibile.

In hac re diuisi sunt discipuli D. Thomæ, nam Capreolus quem Soncinas & alij sequuntur, non existimat esse admittendū illud cōsequens, quia vt materiz sint specie diuersæ, non satis est formas esse specie distinctas, cū constet in his rebus inferiorib. eandem materiam recipere varias formas: oportet ergo vt sit diuersitas in modo informandi, omnes autem formæ cœlorum conueniunt in eodem modo informandi inseparabiliter, & explēdo appetitum materiz: ergo, quamuis in gradu essent aliæ illæ formæ differant, nihilominus materia omnium est vna, quia respicit oēs veluti sub vna ratione formali, quæ sumitur ex modo informandi, sicut materia inferiorum corporum est vna, quia respicit plures formas, quatenus conueniunt in alio modo informandi, scilicet separabiliter. Vnde Aristoteles quamuis dixerit corruptibile & incorruptibile differre genere, nunquam tamen dixit incorruptibilia inter se differre etiam genere physico: non ergo differunt in materia. Tandem illa omnia corpora, sicut sunt incapacia alterationum corruptentium, ita sunt capacia earum mutationum, quæ corruptionem non afferunt, vt motus localis, & passiuæ illuminationis: ergo signum est habere materiam eiusdem rationis.

At vero Caietanus concedit sequelam argumenti, & docet omnia corpora incorruptibilia specie diuersa habere non solum formas, sed etiam materias specie diuersas. Et in ea sententia magis consequenter loquitur, quia rationes factæ eandem efficacitatem in præsentem habent. Nam si materia cœli crystallini, verbi gratia, est eiusdem rationis cum materia cœli Empyreici: ergo est naturaliter capax formæ eius, & dispositionum omnium, quæ ad illam requiruntur: ergo forma cœli Empyreici, quantum est ex se, & ex parte talis subiecti, educi potest de potentia eius: ergo cœlum Empyreum naturaliter est generabile, & è contrario crystallinum cœlum erit naturaliter corruptibile & transmutabile in aliud. Patet consequentia, quia materia dicitur esse de se indifferens ad omnes illas formas, & per proprias vnus cuiusq; dispositiones determinari ad illas: ergo erit tanta repugnantia inter dispositiones, sicut inter formas: ergo per illas dispositiones poterit materia illa præparari ad abiiciendā vnā formam, & recipiendā aliam. Negq; ad hanc transmutationē videtur necessaria

A a 3

ria con-

XXI.

XXII.

Quoridam in hoc sententia.

XXIII.

Materia cœli est vnum orbium inter se specie diuersa.

ria contrarietas positiua & perfecta, sed sufficit propria oppositio priuatiua cum naturali repugnancia & impossibilitate formarum, & propriariū qualitatum, vel dispositionum. Quod si ex parte potentie passiue naturalis, hoc totum verum est, nulla ratio afferri potest, cur potentia actiua naturali illi potentie passiue correspondens sit impossibilis: imo nec reddi potest ratio, cur de facto non reperiatur in cælis. Igitur, quod talia corpora sint ad inuicem impassibilia tali passione, quæ ad corruptionem vel generationem disponat, prouenit ex eo, quod vnumquodque habet propriam materiam ita accommodatam & commensuratam propriæ formæ, & dispositionibus illius, ut sit prorsus incapax aliarum, vnde necessario fit, tam esse diuersas specie materias horum corporum, quam formas eorumdem.

XXIV.

Quocirca quamuis verum sit, omnes materias cælorum in hoc conuenire, quod ordinentur ad formam inseparabiliter informantem, tamen hæc conuenientia non potest esse in eis specifica, sed generica, & ex illa inferitur diuersitas specifica. Nam ut vnaquæque materia inseparabiliter coniungatur propriæ formæ, necesse est, ut ex vi suæ entitatis & essentie cum sola illa possit naturale vinculum cōtrahere: nam si esset indifferens, hoc ipso posset suam formam dimittere, & alteri repugnanti coherere. Igitur respicere formam inseparabiliter informantem, nihil aliud est, quam determinate respicere propriam & vnicam formam, & e contrario, quod forma inseparabiliter informet, ideo est, quia talem respicit potentiam quæ illo actu contenta est, neque alium appetit, quia alterius non est capax. Negalia ratione intelligi potest, quod vnaquæque forma cæli sentiet appetitum propriæ materiæ. Est ergo in hoc magna dissimilitudo inter materiam rerū corruptibilium & incorruptibilium, nam illa ideo respicit formam separabilem, quia ex se indifferenter respicit plures formas inter se repugnantes, vnde ipsamet separabilitas formarum requirit vnitatem in materia, & talem capacitatem, quæ non omnino expleatur vna vel alia forma. At vero materia vniuscuiusque cæli ideo respicit formam inseparabilem, quia non respicit aliam, nisi suam, & ideo illa satiat, quia non est capax aliarum, neque indifferens, sed ex vi suæ essentie est determinata ad talem formam. Neque Aristoteles huic sententiæ repugnare potest, cum ille generatim dixerit, illa differre materia, quæ non sunt inuicem transmutabilia. Quod vero 10. Metaphys. dixerit corruptibile & incorruptibile differre genere, non impedit, quo minus ipsa etiam incorruptibilia possint dici inter se genere Physico differre, si hoc nihil aliud sit, quam differre materia: si vero illa locutione plus indicetur, sic speciali ratione dicentur differre genere corruptibilia corpora ab incorruptibilibus, potius quam incorruptibilia inter se, quia nimirum illa sunt diuersorum ordinum, hæc vero vnum gradum constituunt. Item materiæ cælorum, & elementorū differunt quodammodo genere Physico, quia vna materia est subiectum generationis, tota vero alia materia est incapax generationis, & ita est etiam maior similitudo specifica & subalterna inter materias cælorum inter se, quam cum materiis horum inferiorum. Et illa conuenientia satis est, ut in aliquibus mutationibus localibus aut perfectiuis conuenire possint, ut per se constat. Atque ita sufficienter satisfactum est fundamentis aliorum, & nostra sententia confirmata.

*Tertia assertio, qua Diuina Scripturæ testimonij satisfi.*

XXV.

Dico tertio: Ex diuinis scripturis colligi non potest cælos esse factos ex materia elementorum & consequenter nihil est in Scriptura sacra, quod

propositæ Philosophicæ veritati repugnet. Hæc assertio excedit quidem limites Metaphysicæ, non possumus tamen eam prætermittere, tum ut satisfaciamus fundamentis oppositæ sententiæ, tum etiam ut breuiter attingamus materialem causam totius vniuersi corpori, & conditionis eius, in quo non solum Theologi, sed etiam Philosophi à principio laborarunt. Primum ergo, quod attinet ad cælum Empyreum, conclusio est extra controuerdiam: nam Theologi, qui cælum illud admittunt, in primo momento creationis rerum docent fuisse creatum simul cum terra: illudque aut significari, aut saltem comprehendendi in verbis illis: *In principio creauit Deus cælum*. Vnde, saltem quantum ad hoc corpus, sine vlla difficultate Theologica procedunt omnia dicta de materia cæli. Propter quod etiam Theologi docent, illud cælum in fine mundi, neque esse igne comburendum, neque innouandum, quia semper est purissimum, & clarissimum, prout sedem Beatorum decet. Philosophi vero nihil de illius cæli existētia cognoscere potuerunt, quia nec motum habet, nec illuminationem, aut manifestam influentiam, qua posset à mortalibus humano discursu inuestigari.

De alijs autem cælis probatur conclusio, quia nulla ratio cogit, ut nomine cæli in citatis verbis vnum tantum corpus celeste, illudque supremum & Empyreum intelligatur, nā frequens & vnitatis modus loquendi habet, ut nomine cæli simpliciter dicti totus ordo celestium corporum comprehendatur. Quia mos etiam est frequens in Scriptura: eo vel maxime, quod illud singulare in Hebræo plurale est, eo quod vox Samaim singulari careat, & in alio loco in plurali transfertur, Plal. 101. *Initio tu, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli*: ubi significatur, omnes cælos simul cum terra fuisse conditos. Nec vero obstat, quod paulo post in eodem capite primo Genes. dicitur, Firmamentum factum fuisse secundo die, & appellatum cælum, & Solem, Lunam ac stellas, quarta die fuisse creatas: hoc (inquam) non obstat, tum quia probabilius est hæc non fuisse creatam secundo & quarto die quantum ad substantiam, sed solum quoad quædam accidentalia munera, ut paulo post indicabimus: tum etiam, quia illud firmamentum, de quo secundo die fit mentio, non est aliquod ex corporibus incorruptibilibus de quibus loquimur, ut mox declarabimus. Verisimilius ergo est nomine cæli comprehendisse Moysen omnes orbis celestes, & maxime locutum fuisse de cælo hoc visibili, quod humanis oculis conficitur: hoc enim præcipue egit in eo opere, ut Deum ostenderet creatorem omnium visibilium, sicut annotauit Hieronymus epistola 139. ad Cyprianum. Non est ergo credendum incepisse Moysen narrationem suam à creatione solius cæli inuisibilis: comprehendit ergo sub illa voce omnes cælos visibiles, ut interpretatur etiam Basiliius homil. 2. Hexameron. Imo probabile satis est nomine cæli comprehendisse omnia corpora usque ad aerem inclusiue: est enim frequens in Scriptura, ut nomine cæli comprehendatur aer. Psalm. 103. *Extendens cælum, sicut pellem, qui tegit aquis superiora eius*. Et frequenter in Scriptura fit mentio aurum, seu *vulcrum cæli*, id est aeris: & in eodem loco Genesis dicitur: *Vocauitq. Deus firmamentum, cælum*: quod firmamentum, vel aeris pars quædam est: vel aerem includit. Sicut ergo paulo inferius dicitur: *Et vocauit aridam terram*, & nihilominus eodem nomine (quasi per anticipationem) illam in principio appellauit: ita etiam de nomine cæli commode intelligi potest.

Atque hinc ulterius colligitur, nullum esse argumentum, cælum fuisse creatum ex aqua, aut totum spaciū à superficie terræ usque ad cælum Empyreum plenum fuisse aquis, eo quod in illa prima narratione tantum cæli, terræ, & aquarum Moyses mentionem fecerit. Hoc (inquam) argumentum efficacem non

no est. Primo, quia declaratum iam est, nomine celi comprehendisse omnia corpora superiora usque ad aerem. Secundo etiam quia probabilis est expositio multorum Patrum, qui nomine spiritus intelligunt aerem significari, cum ibidem dicitur: *Et spiritus Domini ferebatur supra aquas*, ut videre licet in Theodoro, quod 8. super Genes. & aliis, quos in catena Genes. refert Lippomanus. Tercio, quia valde etiam probabilis est multorum expositio, qui putant nomine terrae complexum esse Moysen quatuor elementa suis sicut naturalibus, & proprio ordine disposita. Quae est sententia Basilij, & Bedae in Examer. & Damasceni. libr. 2. de fid. capit. 5. & communior Theologorum; nam sicut nomine celi totum superiorem orbem, ita terrae nomine totum inferiorem mundum comprehendere potuit, ex extremis media subintelligendo. Praesertim, quia (ut Philosophi autem) posito vno contrarium in rerum natura, necesse est aliud etiam existere: unde facta mentione creationis terrae, ignis etiam illi extreme contrarius in situ & leuitate, creatus subintelligitur: & in eis comprehenduntur media, vel certe sub terra & aqua comprehenduntur aer & ignis, quae in qualitatibus primis extreme illis opponuntur. Addo denique, si ex eo, quod in verbis illis: *In principio creauit Deus caelum, & terram*, solum elementum terrae expresse nominatum est, recte colligitur aerem & ignem non fuisse tunc creatos, pari ratione colligi posse neque aquam fuisse creatam, quia neque hoc de illa narratur, sed statim subditur: *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebrae erant super faciem abyssi, &c.* Unde aliqui haeretici sumperunt occasionem dicendi, Deum non creasse abyssum illam, de qua ibi fit mentio, neque terram illam inuisam & incompositam, quia de his non dicitur, quod creata sunt, sed quod erant: utique antequam creatio rerum fieret. Aiebantque illis verbis significari illud antiquum chaos, quod Philosophi, vel Poetae excogitarunt, vel materiam primam, quam Plato increatam existimauit, ex qua dicebant Deum creasse caelum & terram elementarem. Quae expositio haeretica est. Necesse est ergo, ut sub caelo & terra aquam etiam intelligamus: unde sicut proximè sequentia verba: *Terra autem erat inanis & vacua*, non intelliguntur de alia terra, quam de illa, quae creata est in principio: ita abyssus aquarum, de qua in eisdem verbis fit mentio, in eodem principio simul cum terra creata intelligitur: ergo necesse est sub illis verbis: *In principio creauit Deus caelum & terram*, aliquid aliud comprehendere, praeter id quod expresse verba significant: ergo qua ratione comprehenditur aqua, comprehenduntur etiam aliae elementa.

XXVIII.

Græcorum & Latinorum in ista expositio.

XXIX.

Et quidem si nomine celi significari intelligamus totum corpus celeste usque ad caelum aerium optime nomine terrae significantur terra & aqua, quae ita sunt coniuncta, ut vnum corpus, & inferiorem mundum quodammodo componat. Nec refert, quod in eo principio, in quo creata sunt, non erant ita disposita, nec habebant omnino eum situm, quem nunc habent; nam satis est, quod quando Moyses scripsit iam ita essent constituta, ut de eis per modum vnius loqueretur. Si vero nomine celi solum intelliguntur proprii orbis coelestes, sub terrae nomine comprehenduntur reliqua elementa ratione iam dicta. Itaque utroque modo concluditur, nomine celi & terrae ibi comprehendendi totum vniuersum ex simplicibus corporibus quoad eorum substantiam constans, sine ornatu tamen & dispositione, quam nunc habet. Et haec est magis recepta expositio Græcorum & Latinorum super Genesim: nec displicet Augustino 11. de Ciuit. cap. 33. & lib. 2. con. Maximin. ca. 3. licet aliquid amplius interdum addat, quod ad praesentem disputationem non spectat.

Ex his constat, nullum posse argumentum colligi ex historia creationis mundi, quo suadeatur coe-

los & elementa ex eadem materia fuisse condita: quod si inde non habetur, ex nullo alio Scripturae testimonio id colligi potest: vtrumque autem manifestius fiet, respondendo ad tertium fundamentum prioris sententiae. Expositio igitur illa, quae nomine terrae materiam primam intelligit, & ea omnia corpora, praeter caelum Empyreum, formata dicit, quoad priorē quidem partem est Augustini, non vero quoad posteriorem. Quamuis enim nomine terrae intelligat materiam primam, non inde fit intellexisse vnam esse & eandem materiam, ex qua formata sunt corpora coelestia & terrestria, sed solum quod vtraque ex aliqua materia informi creata sunt. Eo vel maxime, quod idem Augustinus libr. de Genes. cont. Manich. cap. 7. arbitratum nomine celi & terrae significari materiam informem, ex qua caelum & terra formata sunt, quā dicit sic appellari, non quia iam hoc erat, sed quia esse poterat: ergo eadem ratione intelligi potest, sensisse Augustinum aliquam diuersitatem in ipsa materia informi praecessisse, ob quam distinctis illis nominibus appellata est. Sed (quod ad rem spectat) contra illa expositio Augustini est valde Metaphorica, & aliena à sensu historico, qui esse debet proprius, & non diuertere ad Metaphoras, praesertim obscuras, & inusitatas. Unde aliud est dicere nomine celi comprehendere angelos, non excludendo proprium sensum vocis, sed addendo contentum comprehendendi in continēti, seu locatum in loco; aliud vero est dicere nomine celi significari solam naturam angelicā, quod est incredibile, quia illa Metaphora est valde obscura & inusitata, maxime cum eodem capite sepe significet visibile corpus: multo vero incredibilius est nomine celi significari materiam informem. Atque idem fere est de nomine terrae, quod in toto illo capite elementum terrae significat, & haec sola est propria significatio eius, quae excludi non debet, quamuis sub illa aqua etiam vel alia elementa comprehendantur, ut explicuimus. Et hic est, ut dixi, communis sensus Patrum: imo Tertullianus libr. contra Hermogen. cap. 21. vehementer in illū inuehitur, eo quod nomine terrae materiam informem interpretaretur. Item alias etiam nomen abyssi, & nomen aquarum significaret materiam informem, quod valde repugnat certitudini, & veritati historiae.

Ad locum autem Sapientiae 11. *Manus tua creauit orbem terrarum ex materia inuisa*, duobus modis responderi potest; primo, ut verba illa, *ex materia inuisa*, non significet materialem causam ordine temporis praecedentem creationi orbis terrarum, sed tantum ordine naturae, ita ut non proprie significant materialem causam ipsius creationis, sed rerum creatarum, ut sensus sit, *Manus tua creauit orbem terrarum constantem ex informi materia*, quam eadem manus tua condidit, ut ex ea totum orbem formaret. Quae expositio est consentanea doctrinae Augustini, quae aliis locis ait informatam materiam non tempore, sed natura, corporum creationem praecessisse, ut infra videbimus. Iuxta hanc vero interpretationem, non oportet ut verbum illud, *ex materia inuisa*, seu *informi* (ut ad litteram habent Graeci) significet aliquā speciem vltimam materiae sed absolute materiam, siue sit vnius generis siue speciei. Secundo, & magis ad litteram, responderetur non loqui ibi Sapientem de prima rerum creatione, quae non ex materia, sed ex nihilo facta est, sed de ornatu, dispositione, ac rerum distinctione, qua hic mundus conditus est, & in eo statu & pulchritudine, quam nunc habet, constitutus. Quamuis enim Vulgata Latina vertat *creauit*, non tamen sumit verbum illud in eo rigore, quo significat productionem ex nihilo, sed prout significare etiam solet quamcunque effectiōem; atque ita verbum Graecum *ποιέω* quod ibi responderet, fabricare & condere generatim significat. Unde per materiam inuisam non intelligitur ibi materia prima (de qua nunquam expresse mentionem fecit

XXX.

Locus sapientiae 11. or. positus.

cic diuina Scriptura) sed significantur omnia corpora simplicia, ex quibus Deus hunc modum constituit & ornauit, eo modo quo lapides, & ligna dici solent materia domus, & in vniuersum res quæ supponitur ad actionem vel fabricationem, dici solet materia actionis. Dicitur autem illa materia informis, non informatitate substantiali absolute & simpliciter, sed vel accidentali propter carentiam lucis, motus, &c. vel aliqua etiam informatitate substantiali, quia formæ mistorum nondum erant in materiam introductæ; & peculiari ratione dici potuit materia inuisa propter tenebras, quæ erant super faciem abyssi. Potest autem hæc expositio declarari ex Paulo, qui ad prædicta verba sapientis videtur alluisse, cum scripsit ad Hebræos 11. *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, ubi recte Caietanus aduertit, Paulum loqui de opere distinctionis & ornatus, & ideo non dicere creatam esse omnia, sed aptata esse secula, quia sex diebus Deus aptauit & disposuit hunc modum, ut ex inuisibilibus, id est, ex latentibus & inornatis corporibus, tum propter tenebras, tum quia terra sub aquis delitescerebat, visibilia fierent, id est, in eo statu constituerentur, in quo videri possent; & tam simplicia corpora, quam mista, & præsertim animantia, possent hoc visibili mundo frui.*

XXX.  
Ratio no  
sanda.

Præterea ex dictis etiam constat, non colligi ex historia Genesis, totum illud spatium, quod inter cælum Emphyreum & terram iacet, prius fuisse aquis plenum, ut ex eis cæli procrearentur. Abyssus enim sufficienter dicitur de toto elemento aquæ, quod tunc circundabat terram, & tenebris erat circumfusus: super illud autem erat aer, & alia corpora cælestia. Verba autem illa D. Petri, *Cæli erant prius & terra de aqua, & per aquam consistens*, nihil ad rem faciunt, tum quia ibi non est sermo de cælo æthereo; sed æreo; tum etiam quia non cælum, sed terra dicitur consistere Dei verbo de aqua, & per aquam, non quidem quoad substantiam suam, sed quoad statum quem nunc habet, ut habitabilis sit, & fructifera esse possit; ut latius exposui in 2. tom. 3. par. disp. 57. sect. 2. Quod denique Hebraicum nomen, quod cæli nominantur ex aquis sumptum sit, non ideo est, quia cælum conditum sit ex aqua, sed quia cælum interpositum est inter aquas, ut diuideret aquas ab aquis.

XXXI.  
Vapor a-  
quæ non  
fuit materia  
ex qua cor-  
porum inter  
emphyreum  
& terram  
sistuntur.

Ecclesiastici  
locus expo-  
nitur.

Nec probabilior est alia sententia, quæ omnia, præter cælum Emphyreum & terram, facta esse dicit ex aqueo vapore; nam si ille vapor aqueus distinctum quid est ab aqua, repugnat id Scripturæ, quæ aquam dicit fuisse creatam super terram, non aqueum vaporem. Repugnat etiam rationi, quia ille vapor non potest esse nisi aliquid mistum imperfectum: est autem contrarietatem, dicere quod mista fuerint facta ante corpora simplicia. Vnde etiam repugnat omnibus antiquis expositoribus, quia nullam mentionem fecerunt illius vaporis aquei in primo instante cum cælo & terra creati. Neque testimonia Scripturæ, quæ ad id confirmandum afferuntur, quidquam efficiunt; nam quod Ecclesiastici 24. Sapientia de se dicit, *Sicut nebula texi omnem terram*; duobus modis ad literam exponitur. Primo, ut non significetur aliquod opus peculiare diuinæ sapientie, sed eius præsentia & maiestas, qua replet omnem terram: quæ per similitudinem & Metaphoram nebulae declaratur: quemadmodum re ipsa interdum Deus exhibebat præsentiam suam in specie nebulae in tabernacula: & iuxta hunc sensum nebula in dicto testimonio non est ablatiui casus, sed nominatiui. Alter sensus est, ut non formaliter (ut ita dicam) sed effectiue dicatur sapientia obtexisse terram nebula; & sic referri potest ad primam creationem mundi, quando tenebræ erant super faciem abyssi, vel referri potest ad continuam successionem tenebrarum & noctis post illuminationem Solis, quod indicare videntur proxime antecedentia verba: *Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens & sicut nebula texi omnem terram.*

Alia autem verba Iob. 38. *Quis conclusit ostijs mare* &c. solum commendant diuinam omnipotentiam, quæ in tertio die creationis mundi congregauit aquam in locum vnum, quæ primo die quasi erumpebat, ut vniuersam terram circundaret. Cum vero subditur; *Cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine obuoluerem*, nihil aliud significatur nisi quod Genes. 1. dicitur: *Et tenebræ erant super faciem abyssi*. Potest autem aliquis ex eo loco aniam sumere opinandi, fuisse tunc aquam circundatam densissima aliqua nube, quæ erat causa illarum tenebrarum: & ideo dici, fuisse nubem quasi vestimentum aquæ, &c. Quæ opinio licet vera esse admittatur, non oportet fingere nubem illam repleuisse omnia superiora loca vsque ad cælum emphyreum, sed tantum fuisse iuxta aquam in densitate & magnitudine, quæ sufficeret ut aquam caligine obuolueret. Quod si ita fortasse factum est, facile ratio redditur tenebrarum, quæ tunc erant super faciem abyssi, non tamen facile redditur ratio, cur Deus voluerit in primo instanti illam nubem creare, & aquam illa tegere. Nec verba illa cogunt, ut nubem proprie intelligamus: nam aer caliginosus & tenebrosus qui aquam circundabat, potuit per Metaphoram nubem appellari. Quod si hoc ita est, causa tenebrarum esse potuit, vel quia Deus non indidit lucem Soli in primo instanti, vel quia non concurrat cum illo ad illuminandum. Vtunque tamen id sit (hoc enim ad rem præsentem non spectat) nulla potest assignari materia, neque vllum corpus, ex quo corpora cælestia, & elementa condita fuerint.

Ad aliam confirmationem de aquis supra firmamentum, omisiss multis quæ de illa questione disputari possunt, & erudite tractantur à Benedicto Pererio libr. 1. in Genes. in opere secundi diei, eam mihi sententia placuit semper quæ negat esse supra cælos æthereos veras & elementares aquas, quia oppositum non habet in Scriptura sufficiens fundamentum, quo sublato constat, sententiam illam esse ab omni ratione Philosophicâ alienam. Maior nunc solum ostenditur, declarando locum Genesis: constat enim ex omni interpretum sententia, & ex proprietate vocabuli *vaporis* firmamentum non significare vnum tantum corpus, sed totam hanc expansionem cæli tam ærei quam ætherei, de quo toto dictum est. *Extendens cælum sicut pellem*. Quoniam vero in illa expansione variaz sunt partes, aliquid interdum ei tribuitur secundum partem supremam, ut cum dicitur Deus posuisse stellas in firmamento cæli, interdum vero secundum partem infimam: & sic dicitur Deus posuisse firmamentum, id est hanc infimam regionem aeris, in medio aquarum, scilicet pluuiarum & terrestrium. Et eodem modo additur in citato loco: *Qui regis aquas superiora eius*: superiora enim vocat respectu nostri, non respectu supremorum corporum: & de his aquis ac cælo æreo, facilimo negotio exponi possunt omnia Scripturæ loca in quibus fit mentio aquarum supra cælos existentium. Atque hanc interpretationem satis indicat Hieremias cap. 10. dicens: *Qui facit terram in fortitudine sua, preparat orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cælos: Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cælo, & eleuat nebulas ab extremitatibus terræ, & cap. 51. Dante eo vocem, multiplicatur aquæ in cælo qui leuat nubes ab extremo terre. Obijciunt aliqui quod cap. 2. Genes. condito iam paradiso dicitur, *Nondum pluerat Dominus super terram*: vnde colligunt pluuias aquas non potuisse eleuari, & diuidi ab inferioribus secunda die. Propter quod aliqui concedunt non fuisse secunda die sublatis vapores & nubes vsque ad mediâ regionem aeris, sed solum fuisse designatum aerem ut diuideret aquas ab aquis. Sed non placet, tum quia Scriptura dicit eo die factam esse diuisionem aquarum: tum etiam quia seclusa hac diuisione & subleuatione aquarum, illa designatio aeris nihil est nisi fortasse aliqua denominatio extrinseca. Nec video vim collectionis illius argu-*

argenti, non enim statim ac vapores aquei ascendant ad mediam regionem aeris, ita disponuntur vs subito pluat; maxime cum Iob. 26. scriptum sit, Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum.

Vltima confirmatio illius sententiae sumebatur ex inuolutione mundi futura in die iudicii, in qua cœlum comburendum est iuxta Scripturam, de qua disputauit late in 2. tom. 3. disputat. 58. sect. 2. vbi ostendi, in die iudicii non esse cœlestia corpora secundum substantias immutanda, sed solum secundum aliqua accidentia pertinentia ad perfectionem status gloriæ, ignemque conflagrationis non ascensurum supra cœlum æreum: vbi & locum Petri, & alia Scripturæ testimonia fusè exposuimus, quæ hic repetere non est necesse.

SECTIO XII.

*Vtrum materia celestis ne an elementaris perfectior sit.*

I.  Vm ex dictis constet nihil in Scripturis reperiri quod cœlorum incorruptibilitati, & creationi ex nihilo repugnet: consequens fit eam sententiam quæ affirmat cœlum habere materiam diuersæ rationis à materia generabilium, Philosophicæ doctrinæ magis esse consentaneam, & Catholicæ nihil repugnare. Quæri vero subinde potest, quænam illarum materiarum perfectior sit: non enim sunt quæ est ad nobiliorem formam. Neq; in hoc occurrit aliqua probabilis ratio dubitandi.

II. Et quidem, comparando materias cœlorum inter se, cerum est illam esse perfectiorem materiam, quæ natura sua destinatur ad nobiliorem formam recipiendam. Probat, quia illa est potentia nobilior quæ ad nobiliorem actum natura sua ordinatur: sed quælibet materia cœli ordinatur ad suam formam vt ad actum sibi adæquatam: ergo illa est nobilior quæ est ad nobiliorem formam. Neq; in hoc occurrit aliqua probabilis ratio dubitandi.

III. Difficultas vero est comparando materiam rerum generabilium ad materiam incorruptibilem vt sic, quænam illarum minus perfecta sit. Et ratio dubitandi est, quia se habent vt excedens & excessum, nā materia cœli est determinata ad formam quandam perfectissimam; materia vero inferiorum corporum est indifferens ad formas etiā imperfectissimas. Item materia cœli est semper ac necessario coniuncta suo actui: quo fit vt tam secundum entitatem suam, quæ secundum vnionem ad suum actum sit omnino incorruptibilis: alia vero materia licet secundum entitatem sit incorruptibilis, tamen secundum vnionem mutatur. Tertio, prior materia non est subiecta priuationi: vnde nec secundum eam rationem corrumpi potest: posterior vero semper est subiecta alicui priuationi, imo infinitis priuationibus, secundum quas corrumpi potest, vt Aristoteles dixit i. Physic. Quarto, prior materia semper est plene satiata, quia semper est plene actiua: vnde aliam formam non appetit, præter eam quam habet: quare non habet appetitum per modum desiderij, sed solum per modum amoris & quietis: altera vero appetit & quasi desiderat alias formas quas non habet: & ideo & turpis, & malefica ab Aristotele primo Physicor. text. 31. appellatur, & principium corruptionis dicitur 7. Metaphysic. text. 22.

IV. At vero materia rerum corruptibilium cœlestem superat in hoc, quod simpliciter est capax nobilioris formæ quam illa: imo videtur esse capax nobilissimæ formæ omnium quæ esse possunt, scilicet animæ rationalis: sola autem hæc excellentia videtur maioris momenti, magisque pertinere ad absolutam perfe-

ctionem materię, quam omnes aliæ enumeratæ. Nam perfectio potentię non ex quocunque, sed ex nobilissimo actu pendenda est: ergo quamuis materia generabilium sit capax plurium formarum, inter quas quædam sunt ignobiliores formis cœlestibus, tamen quia in toto illo ordine formarum sunt aliæ, vel saltem aliqua nobilior omnibus cœlestibus formis, hoc satis est vt hæc materia absolute nobilior iudicetur. Et confirmatur, quia etiam materia generabilium excedit in amplitudine & capacitate suæ potentię, quæ etiam per se confert ad perfectionem potentię passiue, vt intellectus, quia in genere potentię cognoscitiue potentia perfectissima est, plures potest recipere formas: ergo si aliunde adiungatur quod illa amplitudo materię sub se complectitur nobilissimam formam, erit absolute talis materia nobilior.

Nihilominus omnes authores qui distinguunt has materias, cœstem esse nobiliorem, imo communiter materia hæc generabilium reputatur infima rerum omnium, quæ esse possunt, etiam per potentiam Dei absolutam, intra genus substantiarum. Quod sentit Richard. quodlib. 2. quæst. 5. & Agidius quodlib. 3. quæstione 5. Durand. in 2. distinct. 12. qu. 1. & ibidem Richard. quæst. 2. & inclinatur Scotus quæst. 2. ad argumenta, quamuis dubius sit idem tenet Thomas de Argentina in 1. distinct. 44. quæst. 1. articulo 2. Abulens. in cap. 22. Mathæi. quæst. 222. Et ratio est, quia in genere loquendo, maxima imperfectio est potentię passiue, si cum perfectione actus eiusdem generis conferatur: ergo inter potentias passiuas substantiales illa est imperfectissima, quæ de se est maxime passiuæ, atque adeo maxime indifferens ad recipiendum quemlibet actum, siue perfectum, siue imperfectum. Et confirmatur, ac declaratur in hunc modum; nam materia generabilium sub minima forma conseruari potest: ergo signum est, illam esse minime perfectionis & entitatis. Tandem, materia cœlestium corporum est incapax omnis alterationis, & peregrinæ impressiois: ergo signum est esse in altiori ordine constitutam. Vnde licet in potentia actiuis perfectio attendatur penes actum perfectissimum; non autem in passiuis, nisi cætera paria sint; sed considerandus est proprius & adæquatus actus earum, & præcipue modus actuandi. In quo etiam excedit materia cœlestis, quia respicit actum inseparabiliter informantem: materia autem corruptibilium respicit formam informantem separabiliter: & ideo quælibet materia cœlestis perfectior est materia elementari.

Quod vero de potentia absoluta nulla possit creari materia inferior hac, non est adeo constans & certum; nam si concipiamus materiam capacem formæ lapidis, verbi gratia, & ad illam ita determinatam, vt sic incapax omnium perfectionum, illa sine dubio esset minus perfecta, quam materia generabilium, quæ nunc est. Nihilominus probabilior videtur communis sententia, quia, vt dixi, hæc materia videtur esse summæ potentialitatis, & prope nihil, vt Augustinus dixit. Nec videtur possibilis materia capax vnus formæ corruptibilis, quæ ex se non sit etiam capax aliarum: tum quia omnes formæ corruptibiles conueniunt in hac ratione separabiliter informandi, quæ est sufficiens ad constituendam vltimam quandam speciem materię, sub qua non potest essentialis diuisio intelligi: tum etiam quia hoc ipso quod materia coniungitur formæ corruptibili, est subiecta priuationi, & consequenter capax diuersarum formarum, & contrariarum dispositionum: & ideo non potest talis materia esse determinata ad formam, neque esse capax vnus, quin sit etiam omnium repugnantium, quæ illam ex se pellere possunt ab eodem subiecto. Et ideo materia corruptibilium non solum minus perfecta est, quam cœlestium, sed etiā infima omnium, quæ esse possunt.

V.  
Cœlestis  
materia lon-  
ge præstan-  
tior inferiori-  
bus.

VI.  
Num infima  
hac materia  
alia  
quæ esse  
inferior.